



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 101. Ecce nunc audistis blasphemiam quid vobis videtur. v. 66.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

quatenus homini mortali possibile est, & ut nunquam verbis, cogitatione vel facto te blasphemem, sed cognoscam te redemptorem meum & largitorem bonorum omnium & benedicam in sæcula sæculorum Amen.

§. 101. *Quid adhuc egemus testibus? v. 66.*

Quasi diceret, quid? ô Iudæi, quid querimus ultra falsos testes, ut circumveniamus eum, & occidatur? ipsius verba sunt nobis testes sufficientes ad mortem, dixit enim se filium Dei esse, & venturum in nubibus & iudicaturum omnes, atq; illa omnia tam verba, quam minæ deliria sunt, si ab alio dicerentur, cum vero à tali, qui se Magistrū veritatis iactat, serio dicta, in Deum blasphemia sunt, quid enim? Deus tam vilem, tam contemptum, abiectum que filium haberet? Quem nec secundum sæculum nobilis & potens suum esse vellet? Deus filium haberet carne & cætero humano habitu, passioni & morti obnoxium? Nequaquam, simile sibi generat, quisquis generat, &c. ergo ut blasphemator in Deum occidatur. Hæc Caiphas, sed quid turbaris, ô Caipha, ob dictum Christi quod sit filius Dei, nonne opera fecit Dei, quæ alius quispiam facere non potest? cur eum igitur occisum cupis? Ipsi falsi testes ad innocentiam eius pervertendam quæsit. Dei filium probant. considera opera quæ supra naturam fecit, quæ si mente sana, & sine felle meditatus fueris, invenies opera supra captum humanum, & per consequens, ipsum Christum esse plusquam hominem purum. Age igitur sedarius, linque furorem, noli hominem iustum, sanctum, innocentem hac de causa blasphemare & condemnare? memor esto quod in lege vestra scriptum sit ps. 81. 6. Ego dixi, dij estis & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini &c.

**O** Caipha, Caipha, vere non eges testibus ubi malitia tua testes antecedit, distante tua conscientia, scis etenim Christum filium Dei esse, quem modo ita nequiter tractas innocentem; & non sequendo rectitudinē conscientia tua, sed quid agis, non times Deum? vere non erit opus testibus quando ipse veniet iudicare vivos & mortuos, tua te conscientia reum faciet & condemnabit tunc, quæ modo innocentem iudicem tuum nocentem & reum mortis condemnat. O Deus, quis mihi det, ut ita vivam coram te, ut distante mea conscientia securius aulam comparere in conspectu tuo, cum veneris iudicare sæculum per ignem, & ille liber conscientiarum nostrarum clausus aperietur, coram toto Mundo perlegendus.

§. 101. *Eccē nunc audistis blasphemiam quā vobis videtur. v. 66.*

O Caipha, quam precor blasphemiam audierunt impij Sacerdotes & Principes consiliarij tui, quia Christus se filium Dei nominat venturum iudicem

dicem in nubibus, illis scilicet maxime nubibus, quibus nunc solem rationis vestræ perpassiones obscuratis, adeo ut dies vobis in nocte, & meridies vertatur in caliginē. nam tales nubes in vobis ipsi etiam nunc satis perfecte sentitis; sed an tibi ignota sunt Prophetarū vaticinia? ad quæ complēda, quæ sæpe manibus elevatis in cœlum clamastis: *ô Iudæi, orate Cœli desuper & nubes pluat iustum, aperiatur terra & germinet Salvatorem?* quam votis omnibus exoptastis, *veniat qui mittendus est.* Jam venit & Joannes Baptista eum ostendit vobis, dicens: *Ecce Agnum qui tollit peccata mundi, & vos Herodi interroganti, ubi Christus esset nasciturus tam expedite respondistis: In Bethlehem Iudæ, sic enim scriptum est per Prophetam &c.* non meministis quod Magi ab Oriente venerint? Herodes occiderit? Archelao filio Herodis, qui ex testamento Patris erat designatus Rex Iudæ, Sceptrum Regium Romæ ablatum sit, & Dux solum constitutus fuerit. denique post novem annos etiam ipse Dux ablatum sit, & in exilium missus. juxta Genesis 49. vaticinium; in super ipse monstravit se signis & portentis, qui & fecit surdos audire, & mutos loqui &c. mirāda, quæ scitis, audistis, & tamen dicitis blasphemare Christum, dum confitetur se venisse Messiam, & ideo vultis eum occidere. at, qua causa? Dicam ne tu *ô Caïpha* empto Pontificatu deiciaris, quia scis Legem & Pontificatum veterem desitura, adveniente Christo. O iniuriam! *ô nequitiam!* malevolūque animum! velle occidere & destruere, Christum, summum bonum, ut privato commo fruaris & dignitate male paratā non spolieris! Deus meus & omnia, quoniam devenit humana cupiditas, ut velit grandi sacrilegio se obstringere & Christo excidere, ut se suaque commoda quærat & tueatur! & tamen, pro dolo, quoties id fit! non mihi si sint ora centum, centum linguæ, possum omnes prætextus, quos homines faciunt in Christo occidendo retexere. Sed huic ne simile quid faciam, obsecro Domine, da gratiam & misericordiam, ne unquam vel velim vel faciam proximo malum pro commo vel utilitate mea.

§. 103. *At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. v. 66.*

Qualis Rex, talis grex: qualis Pastor tales oves, quale caput talia membra. Caput Concilij è medio vult tollere Christum: *Expedi ut unus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat.* acclamat concilium, reus est mortis Christus Jesus, sine examine, sine veris testibus, sine sceleris confessione! ita ne vos docuit Lex vestra & Prophetæ, ut innocentem condemnetis sine probatione & confessione sceleris? an occidit quempiam? minime. imo ipse venit dare vitam & quidem æternam? an læsit proximum? minime gentium, sed venit ut salutem det euret & exaltet. an peccavit in legem? ipse legem præ-